

.lxii. DE PROPHETIS .

Hos sequitur electio prophetarum . cum quibus locutus
est dominus . et ostendit illis secreta sua . ut ea quę
uentura erant quasi presentia spiritu sancto inluminati ag
noscere atque enuntiare potuerunt . principes popu
lorum uentura predicando facti ; alii in utero . alii iN
puerítia ; alii in iuuentúte atque illi in senectúte . deo
cóngniti et sanctificati inuenti sunt . Fide pleni . deuotio
ne summi ; industria solertes . excellentes ingenio ;
in exercitátionibus disciplinae strícti . in sancta meditatio
ne assidui . metúque mortis intrepidi . Multi quoque
ex eis miraculorum signis effulsere ; hominum imfir
mitates curabant . mortuorum corpora resuscitabant .
christi uero per uirginem natuitatem atque passionem uel
resurrectionem siue ascensionem . et aduentum futurum
/132r/ in consummatione mundi iudicio dei edocti . clara uoce
predixere . Hos omnes procul dubio ueneranda huius diei
festiuitate nulló modo priuatos esse . credimus sed con
sortes fieri eam intuendo speramus . Prestante domino nostro
iesu christo . qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat in seculorum .
ameN .